



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

repugnantis illis naturalibus, quas experior in tali aut tali exercitio devotionis, aut talem aut talem actum pœnitentiæ aut propriæ mortificationis exerciturum. Heu! nimium retrocessi, nimium hæctenus dolores, pœnas & omnia sensibus & carni meæ repugnantia declinavi. Capta est resolutio, atque ubi illæ meæ antiquæ repugnantia redierint, aut tentatio inclinationibus mollitiæ meæ, aut corporæ voluptatis obediendi me rursus laceffiverit, cogitabo, mi Domine, si tu teipsum pro animæ bono tantis tamque immodicis exposuisti tormentis, rationi quam maximè consentaneum esse, ut mea quoque ex parte aliquid faciam, cum mea res potissimum agatur. Etenim si tantum tu fecisti pro me, quid ego ipse pro me facere non deberem?

*se resolutus  
Et pravis  
dare omnes  
illius ex-  
quendi oc-  
casiones.*

Huncce quis affectum poterit extendere, prout se senserit motum, atque hac methodo uti poterit alios in quavis materia eliciendi.

CAPUT XII.

*De Oblationibus.*

**D**icemus hic primò; quid sit affectus oblationis, quando ille sit eliciendus & quorum fieri possit oblatio.

*Oblatio* est certus animi affectus, quo movemur ad aliquid dandum Deo, quod in nostra est potestate, aut generaliter ei præstandum, quidquid illi novimus esse acceptum. *Definitio.*

Tribus autem incitamentis ad aliquid offerendum Deo impelli possumus: Primum est *Oblatio aut est Eucharistica* *gratiarum actio*, aut alicujus beneficii recognitionis.

*De  
oratione*

*aut expia-  
toria aut  
impetra-  
toria.*

cognitio. Alterum est desiderium divinæ Ma-  
jestati suæ pro nostris *satisfaciendi* peccatis, ac  
defectibus. Tertium, Intentio aliquam no-  
vam gratiam ab illo *impetrandi* pro futuro.  
Hæ enim tres considerationes hujusmodi in  
nobis excitare possunt affectum.

*Oblatio in  
beneficii  
memoriã  
facta qua-  
si fructus  
gratia-  
rum actio-  
nis.*

Quoad primum, certum est, animam, quæ  
quidem in meditatione perspexerit, se esse Deo,  
ob beneficium aliquod aut gratiam ab illo re-  
ceptam, multum obligatam, illi humilem de-  
bere exhibere recognitionem, prout jam dixi-  
mus. Verum si ardentiori fuerit gratitudinis  
affectu permota, ulterius progressa contine-  
re se non potest, quin benefactoris sui bene-  
volentia atque amor pro suo modulo studeat  
respondere, illi omnia, quæ potest, & quæ  
etiam est, offerendo.

*Oblatio  
expiatoria*

Quoad secundum, ubi suas præteritas in-  
iis, quæ jam cognovit, practicandis confide-  
raverit negligentias, coram Deo confunditur,  
& erubescit, atque idcirco, ut illum placet, at-  
que aliquam ei ratione satisfaciat, illi se offert ad  
culpas præteritas porro expiandas.

*Oblatio  
impetra-  
toria.*

Quoad tertium, scilicet spem ac deside-  
rium novam aliquam ab ipso gratiam obti-  
nendi aut beneficium, experimur quotidie,  
nos quasi naturaliter inclinari ad donis hono-  
randum; ac pro virili nostra nobis devincien-  
dum illum, cujus indigemus, & cujus in no-  
stris necessitatibus opem speramus ac subsi-  
dium. Tametsi etenim certum sit, creatu-  
ram, utpote infinitis modis pauperem atque  
inopem, Deo posse dare nihil, quod illius  
jam antea non fuerit, potest attamen actibus  
liberis

liberis ac voluntariis quasi ratificare sui omniumque aliarum rerum Deo competentem possessionem : potest ei promittere ac liberè offerre aliquem actum pœnitentiæ aut devotionis, potest denique illi repræsentare ac de novo offerre merita Salvatoris nostri, illiusque sanctissimæ Matris, atque omnium aliorum Sanctorum, sicut sacerdotes de novo quotidie æterno Patri Salvatorem nostrum Jesum Christum offerunt in Sacramento Eucharistiæ.

Hac ratione oblationes fieri possunt in tribus locis orationis. Primò consequenter ac gratiarum actionem, quando nascuntur ex primo ex allegatis tribus motivis. Secundò post bona proposita ac resolutiones, quando nascuntur ex altero, ac tandem unà cum petitionibus, quando illas eo fine facimus, ut gratiam à Deo aliquam impetremus.

Tunc autem petitiones effectum ordinariè consequuntur magis infallibilem, quia nihil Deo offerre potest creatura, quin illius infinita bonitas centuplum reddat. Et licet muneribus aut donis, quæ ei offert creatura, ipse non moveatur, quia non aliunde nisi ex seipso omnium, quæ facit ipse, accipit rationem; nihilominus creatura post hasce oblationes ad ea, quæ postulat, accipienda fit capacior, quia illarum proprius effectus est augere fiduciam, quæ una est ex optimis dispositionibus ad hoc, ut quis exaudiatur, ut S. Jacobus Apostolus ait : *Postulet autem in Iac. 1, v. 6. fide nihil hesitans.*

Quando  
producen-  
di sunt  
actus ob-  
lationis.

Cæterum in hoc, uti & in aliis affectibus, non tam attendenda sunt præcepta aut ordo, quem videntur habere cum aliis, quam interior motus devotionis, adeo ut illum quis possit elicere aut omittere, multum aut parum extendere, juxta quod ipse se senserit à Spiritu sancto motum. Incipientes tamen pro aliquo saltem notabili tempore se debent astringere ad sequendum ordinem horum affectuum generaliorum; atque ad aliquos semper illorum actus producendos, ut paulatim hoc exercitium sibi facilius reddant ac familiarius.

*Quid Deo  
possimus  
offerre.*

Argumentum ac materia oblationum copiosissima est & amplissima. Deo enim offerre possumus corpora nostra, animas, vitam, actiones, ærumnas, bona desideria, ac proposita, atque insuper etiam omnia merita Domini nostri Jesu Christi, Beatissimæ Virginis, atque omnium Sanctorum, omnes virtutes & sanctas operationes, quæ ab omnibus fiunt piis, per mundum univetsum, hominibus, omnes laudes & gratiarum actiones, quas ei persolvunt atque in cælo per totam æternitatem persoluturi sunt sancti Angeli, & similia, cum enim in communione vivamus Sanctorum, horum omnium aliquâ ratione possumus esse participes. Præterquam quod ad aliquid offerendum Deo sufficiat illi præsentare ea, quæ novimus ei non posse non esse accepta, ut sunt ea omnia, quæ jam commemoravimus.

*Praxis oblationum.*

**M**ethodus faciendi oblationes in quibusdam apertissimè elucebit exemplis. Supposito

posito igitur, quod meditatus fueris aliquod  
mysterium passionis Domini nostri, exempli  
gratia, flagellationem illius, sicque in illius in-  
gentis amoris, quem ibi nobis exhibuit, reco-  
gnitionem te illi offerre cupias, ita dices.

Heu! mi Domine, quantum tu mihi amo-  
rem ostendis, ubi te ingenti huic ictuum fla-  
gellorum grandini exponere non dubitas?  
Etenim ut me à rigorosissimis à divina tua ju-  
stitia contra me decretis pœnis, quas toties pro-  
meritus ego fueram, liberares, tormenta tu  
adeo immoderata ac dolorosa subire non du-  
bitasti? Heu! ego sum, Domine, ego sum,  
qui peccavi ac pœnas promerui: Ecce igitur  
ego, Domine, qui me intra tuas configno san-  
ctissimas manus, tibi que me offero tanquam  
victimam, ut condignas de peccatis meis ac  
sceleribus pœnas luam. Me ergo, quibuscum-  
que divinæ tuæ placuerit Majestati, afflige mo-  
dis, totus enim in æternum tuus sum. Utinam  
à tua nunquam obedientia me subluxissem!  
Offero tibi corpus meum, ut per pœnitentiam  
edometur, atque ut perpetuò vivum sit instru-  
mentum earum actionum, quæ ad divinam  
tuam gloriam spectant. Offero tibi cor meum,  
ut præter te imposteum nihil amem, linguam  
meam, ut nisi de te non loquar, omnes cogita-  
tiones meas, ut illæ non sint de alio, quam de  
te &c.

Hac ratione dilatare se poterit anima, juxta  
gustum & Spiritus sancti, quem in se persen-  
serit, attractum, resignando se totaliter in ma-  
nus Dei, ad faciendum & patiendum ea om-  
nia, quæ ipsi placuerint in tempore & æter-

*Formula  
oblationis.*

*De  
ratione*

nitate, idque in hujusmodi beneficii memoriam atque agnitionem.

At videns ea non nisi remotissimè benefactoris sui amori correspondere, Deo nostro offerre poterit pios sensus & affectus, quos unquam de hoc pœnositissimo mysterio habuerunt omnes Sancti, sive laudes quas ei æternum decantabunt omnes Angeli pro eo, quod tantum hominibus amorem patefecerit. Poterit similiter æterno Patri, in memoriam tantæ charitatis, quam nobis in hocce ac tot aliis beneficiis exhibuit, offerre omnes actiones & pœnas, omnes pariter virtutes ac merita unigeniti filii illius Domini nostri Jesu Christi, à primo suæ Incarnationis momento usque ad suam gloriosam in cœlos Ascensionem. His etiam unire poterit merita Beatissimæ Virginis, atque omnium in cœlo Sanctorum, & justorum in terris, quin imò & bona proposita ac sanctas resolutiones, quas ipsa ex Spiritus sancti inspiratione conceperit.

*Alia formula ex  
2. motivo  
consequenter  
ad precedentem.*

Aliud accipe exemplum circa idem argumentum, ubi quis voluerit elicere actum oblationum in præteritarum negligentiarum satisfactionem, dicet hoc modo:

Verum est, Domine, non diffiteor, infinita mea est in tibi interviendo negligentia, exigua valdè in perversis corruptæ naturæ meæ inclinationibus ac propensionibus expugnandis ac debellandis generositas, tanta in occasionibus mortificationum amplexandis tepiditas, tam modica pœnitentiæ faciendæ affectio &c. Prò! non est hoc, quod me tu docuisti, ubi corpus tuum adeo duris & crudelibus flagellorum

lorum ictibus exposuisti : Verum ad quem confugiam pro vitæ adeo tepidæ ac negligentis expiatione, nisi ad te, Domine Deus meus? Recipe quæso in satisfactionem non præsentia hæc mea desideria, parum enim id foret, non corpus meum, quod deinceps rigidè habere constituo, non animam meam, cujus omnes potentias ac facultates imposte- rum te imitandi mediis investigandis, atque inquirendis impendere propono; quidquid enim ego habeo, & à me quidquid potest procedere, totum nihil est, & ne quidem, ut tua divina Majestas ipsum respiciat, promere- tur. Verum in plenam satisfactionem pro peccatis meis offero tibi, Pater æterne infinita merita Salvatoris mei Jesu Christi Filii tui unigeniti, amantissimi Redemptoris mei, quem nobis misericorditer tu dedisti, quique seipsum ex intimo animo flagellis subjecit, in semetipso luens pœnas, quas nostris nos pec- caris promerueramus. Offero tibi hos san- ctissimos humeros flagellorum ictibus omni- nè discissos ac dilaceratos, virgineam illam at- que innocentem carnem omni ex parte aper- tam ac disruptam; membra illa sacratissi- ma, ex quibus copiosissimus sanguis pro- manat, oculos illos lacrymis totos immer- sos, vultum illum sputis oppletum & pu- dore totum coopertum, teque humillimè rogo, ut ad intuitum filii tui, doloribus ple- ni, atque ob amorem illius præterita mea de- licta ac negligentias mihi ignoscas. Offe- ro tibi etiam merita Beatissimæ Virginis Mariæ, atque omnium sanctorum tuorum.

*Respice in  
faciem  
Christi  
tui. Ps.  
82. v. 3.*

Offe-



Offero tibi, inquam, omnes actus interiores quos incomparabilis ista Virgo elicuit in omnibus orationibus suis, quas toto fecit vitæ suæ tempore. Offero tibi labores & persecutiones sanctorum Apostolorum, tormenta & charitatem omnium Martyrum, virtutes & pœnitentias omnium Religiosorum & Confessorum, puritatem atque innocentiam sanctarum Virginum, laudes, quas tibi persolvunt omnes beati in cœlo spiritus &c. Juxta hæc duo exempla quivis poterit formare sibi alia circa quodvis argumentum, atque ista optime quis poterit imitari, ubi Deo exhibere voluerit aliquos actus oblationis ad hoc, ut rem ab ipso quampiam obrineat.

*Nota.*

Advertent tamen Fratres nostri, tametsi hoc genus affectuum non sit absolutè in quibusvis orationibus necessarium, expedientissimum tamen esse, ut nunquam ab oratione discedant, quin Deo dederint aliquid, etiam exterius, tametsi id aliud non esset, nisi quod in signum adorationis terram deoscularentur, ubi ad suam fuerint cellam reversi, aut vel semel recitarent orationem Dominicam brachiis per modum crucis expansis, ac similia, quæ tametsi videantur exigua, fructum tamen habent non modicum, quia nobis in memoriam revocant ea, quæ Deo promissimus, ac divina sua Majestas hæc praxès largè solet remunerari infusione gratiæ efficacis, ac necessariæ ad bona proposita nostra fideliter executioni mandanda.